

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Ioannis Andrae Hoffmanni Ivris Vtrivsque Doctoris In
Academia Ienensi Collectio Selectorvm Opvscvlvm De
Vnionibvs Electorvm S.R.I.**

Hofmann, Johann Andreas

Ienae, MDCCLII

VD18 12896357

Capvt XXV. De Integritate Principatvvm Electorvm Servanda.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18247

nam successoris, bona seruentur, (nisi) si in causa huiusmodi fuisse mortuus arguatur.

CAPVT XXV.

DE INTEGRITATE PRINCIPATVVM
ELECTORVM SERVANDA.

§. I.

Si ceteros Principatus congruit in sua integritate seruari; vt corroboretur iustitia & subiecti fideles pace gaudeant & quiete: multo magis magnifici Principatus, Dominia, Honores & Iura Electorum Principum debent illaesa seruari. Nam vbi maius incumbit periculum, maius debet remedium adhiberi, ne, columnis ruentibus, basi totius aedificii collidatur.

§. II. Decernimus igitur, & hoc perpetuis temporibus valituro sancimus Edicto: quod ex nunc in antea perpetuis temporibus, insignes & magnifici Principatus; videlicet Regnum Bohemiae; Comitatus Palatinus Rheni; Ducatus Saxoniae; & Marchionatus Brandenburgensis, terrae, districtus, homagia, vasallagia & alia quaeuis ad ipsa spectantia, scindi, diuidi seu quauis conditione dimembrari non debeant, sed in sua perfecta integritate perpetuo maneant. §. 3. Primogenitus filius succedat in eis, si bique soli ius ac dominium competat, nisi forte mente captus, fatuus seu alterius famosi & notabilis defectus existeret, propter quem non deberet seu posset hominibus principari. §. 4. In quo casu inhibita sibi successione secundo genitum, si fuerit in ea progenie, seu alium seniores fratrem, vel consanguineum laicum, qui paterno stirpi in descendenti recta linea proximior fuerit, volumus successurum. §. 5. Qui tamen apud alios fratres & sorores se clementem & pium exhibebit continuo, iuxta datam sibi a Deo gratiam & iuxta suum beneplacitum, ex ipsius patrimonii facultate, diuisione, scissione seu dismembratione Principatus & pertinentiarum eius sibi modis omnibus interdicta.

CAPVT



CAPVT XXVI.

DE CVRIA IMPERIALI ET SESSIONE.

§. I.

Die, qua solennis Curia Imperialis vel Regia fuerit celebranda, veniant circa horam primam Principes Electores Ecclesiastici & Seculares ad domum habitationis Imperialis, siue Regalis, & ibi Imperator vel Rex ipse, omnibus insigniis Imperialibus induetur, & ascensu equis, omnes vadant cum Imperatore, vel Rege ad locum Sessionis aptatae, & ibit quilibet eorum in ordine, & modo, supra (*) in lege de ordine & modo processionis ipsorum Principum Electorum plenius diffinito.

§. II. Portabit etiam Archicancellarius, in cuius Archicancellariatu haec fuerint, super Baculo argenteo, omnia Sigilla & Typaria Imperialia siue Regalia.

§. III. Seculares vero Principes Electores sceptrum, pomum & ensen, secundum quod superius exprimitur, deportabunt.

§. IV. Portabuntur etiam immediate ante Archiepiscopum Treuirensis suo loco transeuntem, primo Aquisgranensis, secundo Mediolanensis corona: & hoc ante Imperatorem duntaxat, qui iam Imperialibus est infulis decoratus, quas gestabunt aliqui Principes inferiores, ad hoc per Imperatorem iuxta placitum deputandi.

§. V. Imperatrix etiam vel Regina Romanorum suis augustalibus amicta (insigniis) post Regem vel Imperatorem (Romanorum) & etiam post Regem Bohemiae, qui Imperatorem immediate subsequitur, competentis spatii interuallo, suis associata Proceribus suisque comitata Virginibus, ad locum sessionis procedat.

M m 3

CA-

(*) c. 3. 4. 21. 22. A. B.

